Fragmentarium



Non ab eo persona in monasterio discernatur; Non unus
plus ametur quam alius. nisi quem in bonis actibus aut
obedientia invenerit meliorem; Non praeponatur
ingenuus ex servitio convertenti. nisi forte aliqua ra
tionabilis causa exsistat; Quod si ita iustitia dic
tante. abbati visum fuerit. et de cuiuslibet ordine id
faciat; Sin alias. propria teneant loca. quia sive
servus sive liber. omnes in Christo unum sumus. et sub uno domino
equalem servitutis militiam baiulamus;

Quia non est apud deum. personarum acceptio. Solummodo
in hac parte apud ipsum discernimur; si meliores
ab aliis in operibus bonis et humiles inveniamur. Ergo
equalis sit ab eo omnibus; caritas. una praebeatur in omnibus;
secundum merita disciplina. Lc. III.

IN doctrina sua namque abbas apostolicam debet semper
formam servare. in qua dicit. Argue. obsecra. increpa.
id est. indisciplinatos et inquietos debet durius ar
guere. Obedientes autem et mites. et pacientes.
ut in melius proficiant obsecrare; Neglegentes
autem et contempnentes. ut increpet et corri
piat admonemus; Neque dissimulet peccata

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 92.8, 4r – Regula Benedicti
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-iman/5127/48938)